



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Cornelii Iansenii Episcopi Iprensis Avgvstinvs**

In Qvo Genuina sententia S. Avgvstini de humanæ naturæ stantis, lapsæ,  
puræ statu & viribus eruitur & explicatur

**Jansenius, Cornelius**

**Lovanii, 1640**

25. Non repugnat Augustini doctrina propositioni damnatae per duos Pontifices; homo peccat etiam damnabiliter in eo quod necessario facit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13673**

non ignobiles auctores docent. Quæ sanè san-  
cti Antilitis doctrina de voluntate necessariò  
peccante, principijs ejus de libertate infra tra-  
dendis conformissima est. Cum enim nihil  
aliud ei liberum sit, quàm quod est in nostra  
potestate, nihil profectò magis in nostra po-  
testate esse potest, quàm quod fit volentibus  
nobis; & proinde nihil magis liberum. Ex  
quo satis operosè infra deducemus, omnem  
deliberatam voluntatem hoc ipso quo est in  
nostra potestate, hoc est, quo non fit nolentibus  
sed volentibus nobis, esse liberam & non  
posse non esse liberam, siue etiam necessariò  
exercitij necessitate fiat siue non fiat. Quod ex  
Aug. mente in ipso amore beatifico verum esse  
latissimè demonstrabitur. Sic ergo & hęc, etiamsi  
ille peruersus amor sui, in quem ex Dei dile-  
ctione rationalis creatura lapsa est, & in quo  
ex iustissima Dei damnatione perseverat, &  
ex quo omnis actus vel omisso damnatae vol-  
untatis fluit, firmissimè adhæreat voluntati,  
imò etiamsi non solum specificatione, ut  
nunc est, sed etiam exercitio, quemadmodum  
amor beatificus, esset necessarius, non tamen  
ex Augustini mente desineret esse liber. Nam  
illa firmitas ex præcedenti & indifferenti ele-  
ctione, qualis est Angelorum, & maximè ip-  
sius Dei ad condendas regendasque creaturas,  
nata est. Nec necessitas repugnans voluntati,  
sed ex vehementia amantis voluntatis oritur:  
quæ sicut liberè amare aliquid ita & fortiter &  
constanter amare potest, damnatione vel bea-  
tificatione iuvante voluntatem. Sic enim utra-  
que voluntatem ad perseverandum iuvat, ut  
non impellat stringatque violentè, sed ratio-  
nes amandi novas sulciter, antiquas dele-  
ctabilius, clariùs, constantiusque proponat,  
subtrahis aliud quilibet amandi rationibus.  
Nam ut retractet, aut retractare possit, quod  
semel elegerit, non est de ratione libertatis.  
Sic ergo fit, ut voluntas infidelis sub dan-  
natione ante gratiam constituta, constanter  
præcepto credendi, diligendi, vel aliud quid-

*Videntur esse  
rotus lib. 6.  
& 7. de gra-  
tia Christi  
Salvat. qui  
sunt de nat.  
& lib. arb.*

liber facienda parere nolit; quia constanter in  
illo sui ipsius amore, in quem suâ libertate  
cecidit, ex damnationis suæ penâ perseverat.  
Per absurdum est enim, amorem illum quo ra-  
tionalis creatura liberrimè cecidit, hoc ipso  
quo jam cecidit, eumque iusta pena sequitur,  
non ampliùs liberum, ac proinde nec malum:  
quantumvis præ amoris dulcedine in ejusdem  
etiam exercitio Dei instar permaneret. Omnis  
enim amor ipso primi actus exercitio fit stabi-  
lior & consuetudine amandi magis magisque  
radicata immobilior, non liberæ voluntatis  
amissione, sed constantia. Qua in re beati-  
tudinis atque damnationis quoddam præludium,  
imo principium est. Consuetudo quippe ma-  
la malam roborans voluntatem pena est,  
damnatioque liberæ voluntatis: sicut bona  
consuetudo est præmium ejus. Vnde Augu-  
stinus se *ligatum* fuisse dicit, *non ferro alieno,*  
*sed sub ferrea voluntate, velle meum, inquit, tene-  
bat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & con-  
strinxerat me.* Ortum verò talis necessitatis ex  
libertate significans: *Quippe, inquit, ex volun-  
tate perversa facta est libido, & dum servitur libidini,  
facta est consuetudo, & dum consuetudini non res-  
istitur, facta est necessitas.* Est autem absurdissi-  
mum dicere, quod peccando aut bene agendo  
libertas pereat; aut hoc ipso, quo majori in  
bonum aut malum improbi vel sancti seruan-  
tur delectatione, minuatur. Quod optimè in-  
telligens Augustinus, cum per hujusmodi pec-  
candi necessitatem, quam solâ gratiâ susti posse  
sentiebat, libertatem arbitrij sustulisse culpa-  
retur: *Liberam, inquit, arbitrium usque adeo in  
peccatore non perijt, ut per illud peccent, maxime om-  
nes qui cum delectatione peccant, & amore peccati  
hoc eis placet, quod eis lubet.* Quod in infidelibus,  
ac maximè in damnatis locum habet. De qua  
liberatis intelligentiâ qui plura postulet, con-  
sulet ea quæ infra de libertate arbitrij ex Au-  
gustini mente declaranda sunt; & ea quæ de  
gratiæ sufficientis effectu sine præjudicio libe-  
ri arbitrij disserentur.

*Lib. 1. c. 1.*

*Lib. 1. c. 1.*

*Philos.*

*7. de gra-  
tia Christi*

*qui sunt de  
nat. & lib.  
arb.*

## C A P V T X X V.

Non repugnat Augustini doctrina propositioni damnatæ per duos  
Pontifices: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo quod necessariò facit.*

**E**X his facile intelligitur, doctrinam  
istam Augustini non esse comprehen-  
sam illâ propositione, quam proserip-  
sit Pius V. & Gregorius XIII. *Homo  
peccat etiam damnabiliter in eo quod necessariò fa-  
cit.* Necessitas enim peccandi ab Augustino  
tradita solum est necessitas in genere, ex qua  
fit ut non possint homines ante gratiam agere  
nisi malè. Hęc autem non impedit quo minùs  
in peccatis singularibus perpetrandis liberam &  
indifferentem ad faciendum & abstinendum  
habeant voluntatem. Sic enim & demones

necessariò peccant, quamvis in singulis acti-  
bus peccatum non necessitate, sed voluntatis  
libertate committant, sicut hoc non ignobi-  
les etiam recentiores auctores docent. Nam  
quod non ampliùs damnationem gravio-  
riorem eorum peccata mereantur, statui peccantium,  
non innocentia talium actionum, tribui de-  
bet.

Secundò etiamsi Augustinus quædam dan-  
natorum hominum peccata necessariò fieri  
etiam exercitij necessitate traderet, juxta mo-  
dum quo capite præcedenti diximus, non  
vide-

*Philos.*

*de gra-  
tia Christi*

*qui sunt de  
nat. & lib.  
arb.*

videretur doctrina ista Pontificum illorum censuris esse perstricta. Peccati enim damnabilis ratio; sicut & laudabilis benefacti, ab arbitrij libertate dependet. Iam autem secundum recentiorum etiam Theologorum sententiam certum est, actum aliquem bonum posse esse liberum, libertate de qua ipsi loquuntur, quamvis ex aliqua suppositione jam fiat necessarius, & voluntas quæ eum producit ab eo producendo abstinere non possit. Sic enim videmus actum divinæ voluntatis ex hypothesi, quod ad eum se liberè determinaverit, non amplius posse retractari: ex quo fit, ut quicquid ad extra facere ipsa jam ab æterno decreverit & elegerit, necessarium sit ut fiat. Sufficit enim ad ejus libertatem, ut liberrimè se ad eum Deus ab æterno determinaverit, ratione cujus liberrimæ determinationis, semper adhuc actus liber est & semper erit. Hanc electionis liberæ constantiam si creatura rationalis imitetur, ut pari modo immobiliter in amore creatoris vel creaturæ, ad quem sese summâ libertate flexerit, non solum quantum ad speciem actus, sed etiam quantum ad exercitium perseveret, nihil est cur actus ille non semper dici possit liber eadem libertate, qua ab initio liberæ determinationis liber fuit. Talis enim voluntas juxta principia sancti Augustini, est in nostra potestate, quia volentibus adest. Porro qua in potestate est, libera est nobis. Et quamvis illa exercitij perpetuitas respectu amoris sui in hominibus ante gratiam non habeat locum, quia somno saltem interruptur, sed solummodo quantum ad speciem actus: in dæmonibus tamen semper vigilantibus, & in actu constitutis, fortassis locum habet. Quidquid enim agunt illi, qui semper aliquid agunt, hoc agunt ex illo primo amore sui quo ceciderunt, veluti cardine quorumcumque motuum quibus agitantur. Unde non veretur dicere August. quod sicut Angeli boni Deum perpetua iustitia tenenda voluntate promerentur; ita malos perpetua peccandi vo-

**A** *luptas tenet.* Si ergo necessitas ex hypothesi non repugnat actibus laudabilibus, nec libertati voluntatis, ex qua fluunt; non est ratio cur similis necessitas ex hypothesi damnabilium actuum libertati adversetur. Talis enim necessitas non nisi ex hypothesi præcedentis liberæ determinationis nascitur: nec aliud revera est nisi primæ liberæ voluntatis perpetuitas & immutabilitas; cujusmodi est divinæ, & fortassis Angelicæ voluntatis, quam defæcator Theologia non solum origine, ratione primæ determinationis, sed semper etiam actu liberam esse profitetur. Non loquitur ergo illa proscripita propositio de tali necessitate malæ voluntatis ex hypothesi, qualem tamen quantum ad exercitium in hac vita nullam agnoscit Augustinus: sed de necessitate potius absoluta, quæ voluntas ad malum appetendum aut agendum, non solum specificatione, sed etiam exercitio, nulla prævia liberæ determinationis hypothesi, sed absolute necessitata est. Talis enim voluntas aut actio creaturæ, præterquam quod in Angelis & hominibus nunquam data est, si tamen dari fingeretur, non in ea peccaretur damnabiliter, sed potius laudabiliter ageretur. Talis enim necessitatis determinatio institutionem naturæ sequeretur, quam sequendo non posset esse damnabilis. *Et enim non receditur ab eo modo, quo naturaliter factus est, ita ut melius esse non possit, ea quæ debet facit, quæ hæc facit.* Quæ ratio non habet locum, si jam liberæ voluntate peccantem ejusdem liberæ voluntatis duritia & perpetuitas consequatur. Iam enim liberè peccando recessit ab eo modo, quo naturaliter factus erat, & recedendo fieret, ut (quamvis liberam illam voluntatem recedentem à natura sua volendi, obstinatione amplius mutare non posset, quia mutare non vellet) non propterea ille qui constrictus esset ista hypothesica & voluntaria necessitate, ea quæ debebat, facere censeretur.

## CAPVT XXVI.

De alijs propositionibus in Bulla Pij Quinti damnatis, quæ supra traditam doctrinam sancti Augustini complecti videntur.

**S**ED aliæ non pauca propositiones in eadem Bulla, iniquis, proscripæ sunt, quæ doctrinam illam aliam, quam de tentationum victoriâ, de vitandis per liberum arbitrium peccatis, de operibus invidiosum, & similibus, ex Augustino produximus, redolere prorsus videatur. De quibus sigillatim aliquid dicendum est.

In primis igitur profertur illa propositio vigesima-nona. Non soli sures iustitiae & latrones, qui Christum viam & osium veritatis & vitam æternam gant, sed etiam quicumque aliunde, quam per ipsum

**A** *in viam iustitiae, hoc est, ad aliquam iustitiam conscendi posse docent, aut tentatione ulli sine gratia ipsius adiutorio resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, aut ab ea non superetur.* Vbi damnari videtur ea doctrina, qua diximus ex Augustino, nullam tentationem solo libero arbitrio posse superari.

Respondetur, In ista Bulla nonnulla propositiones damnantur, non tam propter falsitatem doctrinæ, quam continent, quam propter acrimoniam censuræ, qua earum auctor, Doctorum quorundam sensa perstringit. Quod